

## DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUC. XVII.

In illo tempore, cum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor miserere nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

### CONCIONES.

- I. Gratiitudinis et ingratiitudinis varii gradus.
- II. Quibusnam præ cæteris grati esse debeamus.
- III. Incitamenta ad gratitudinem.
- IV. Lepra peccati quam polluat universum.
- V. Quorumnam consortium, velut leprosoꝝ, maxime fugiendum sit, et quidem ex præscripto ss. canonum.
- VI. Qui potissimum homines in communitate non tolerandi, et ab aliis vitandi sint.
- VII. Peccata carnis quam cavenda sint.
- VIII. Incentiva et remedia luxuriæ.

#### CONCIO I.

GRATITUDINIS ET INGRATITUDINIS VARIÏ GRADUS.

- I. Agnoscendum beneficium: delinquent hic: 1. Qui putant sibi debitum. 2. Qui alteri non auctori adscribunt. 3. Qui obliviscuntur. 4. Qui repudiant. — II. Laudandum beneficium et gratiæ agendæ: peccant hic: 1. Qui beneficium dissimulant. 2. Qui extenuant et plura semper petunt. 3. Qui spernunt. — III. Compensandum beneficium: peccant hic: 1. Qui nihil rependunt. 2. Qui parum nimis rependunt. 3. Qui mala rependunt.

#### THEMA.

Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?  
Luc. XVII.

Magnum dedecus Judæorum, qui cum majora a Deo acceperint beneficia, magis intellexerint

IX. Quam congruenter et salubriter instituta sit confessio peccatorum.

X. Documenta.

XI. Mysteria.

#### CONCIONES AUCTARIÏ.

- I. Media via quomodo incedendum.
- II. Lepra peccati quam detestabilis.
- III. Lepra runiti, maxime vitandi.
- IV. Tribulationis magna aliquot bona.
- V. Gloria Deo danda gratitudine, peccati confessione, veritatis enuntiatione, sui abjectione.

legem et voluntatem Dei, plures habuerint promissiones, plura miracula, etc. nihilominus tamen in virtutum studio a gentilibus sæpius sunt superati. Ecce enim ante octiduum (juxta Domini parabolam) sacerdos et levita pertranseunt vulneratum: Samaritanus vero gentilis eum sublevat et curat. Proh dedecus Judæorum! In hodierno evangelio novem leprosi Israelitæ a Domino mundati non redeunt, ut gratias agant: unicus Samaritanus redit, agitque gratias. Proh iterum dedecus Judæorum! Ut merito dixerit Dominus, Luc. XI. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam.* Utinam vero, auditores, hoc ipsum non dicendum sit de multis Christianis! Certe hoc tempore plerique omnes a Deo magnis affecti sumus beneficiis, dum horrea nostra implevimus, et pro sequente anno victum nobis collegimus;

#### DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

sed quis est, qui ad Deum redeat, beneficium agnoscendo? Gratias agendo? Omnes saturati sunt: sed vix unus est e decem, qui ad Deum redeat cum gratiarum actione. Novem ergo ubi sunt? Nimirum in oblivione, in ingratiitudine sunt. Ingens est et hoc Christianorum dedecus, et confundunt nos gentiles, qui pro et de perceptis frugibus sacrificabant diis suis, donaque offerebant, uti Herculi Romani, apud Ciceronem, lib. II. offic. Arabes deo Sabi, apud Plin. lib. II. c. XIV. Æthiopes Jovi, apud eundem, lib. XII. c. XIX. Quid si isti in judicio surgant, et accusent nos? Hoc igitur ne contingat nobis, eamus ad virtutum scholam, et pro hodierna lectione discamus gratitudinem.

D. Thomas, II. II. q. CVI. a. II. tres gradus ponit gratitudinis, totidemque ingratiitudinis. Primus: « Quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundus est, quod laudet, et gratias agat: tertius est, quod retribuat pro loco et tempore secundum suam facultatem. Sed quia quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione, ideo primus ingratiitudinis gradus est, ut homo beneficium non retribuat: secundus est, ut dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse: tertius et gravissimus est, quod non recognoscat sive per oblivionem, sive quocumque alio modo. Et quia in affirmatione opposita intelligitur negatio, ideo ad primum ingratiitudinis gradum pertinet, quod aliquis retribuat mala pro bonis: ad secundum, quod beneficium vituperet: ad tertium quod beneficium, quasi maleficium reputet. » Ita S. Thomas, ex quo discimus tres in hac schola classes esse.

I. In prima agnoscendum est beneficium, quod cum omnium minimo constet, et maxime secundum naturam sit, maxime etiam necessarium est; ideoque gravissimum ingratiitudinis peccatum, ut audivimus ex D. Thoma, beneficium non agnoscere; siquidem: *Officia etiam feræ sentiunt*, inquit Seneca, l. I. de benef. c. III. *nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget et in amorem sui vertat.* Hac in re delinquant primo, qui beneficium putant sibi debitum, uti fere sentiunt, qui a consanguineis accipiunt beneficia, ideoque communiter parum grati sunt, uti filii parentibus, fratres fratribus. Quales etiam Hebræi in deserto, qui omnia postulabant cum murmure quasi debita, manna, aquam, carnes, dicebantque: *Estne Dominus in nobis, annon?* q. d. si habemus Deum in nobis, quare non providet nobis panem et aquam? Ad horum numerum referendos arbitror novem hos teprosos. Cum enim Israelitæ essent, quemadmo-

dum et Christus, non redeunt ad ipsum, nec agnoscunt beneficium. At vero Samaritanus, quia alienigena erat, et tanto se beneficio indignum reputabat, rediit, gratias agens. Unde S. Bern. serm. contra ingratiitud. « Felix, inquit, Samaritanus ille, qui cognovit se nihil habere, quod non accepisset, ideo servavit depositum, et cum gratiarum actione ad Dominum est reversus: » et mox: « Felix proinde qui se alienigenam reputans etiam pro quibusque minimis beneficiis non minimas refert grates: gratuitum esse non dubitans, neque dissimulans, quod alieno impenditur et ignoto. » Dicat igitur quisque cum accipit a Deo beneficium: *Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei*, Ps. XXXVIII. quo discat agnoscere Dei dona, eique gratior esse.

Secundo, qui beneficia non auctori, sed alteri causæ falso adscribunt, vel sibi ipsis et propriæ virtuti aut industriæ. Prioris generis sunt athei, qui nulla Deo adscribunt bona, sed naturæ; quasi vero aliud sit natura, quam Deus ut causa creaturarum, « Non intelligis, inquit Seneca, l. IV. de benef. cap. V. te cum hæc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura quam Deus et divina ratio toti mundo inserta? » Tales et Hebræi illi qui magnalia Dei adscribebant aureo vitulo, dicentes: *Hi sunt dii tui, qui te eduverunt de terra Ægypti*, Exod. XXXII. Quibus verbis irritatus Deus ad Moysen aiebat: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos.* Illos imitantur, qui suam e periculis aut morbis ereptionem magicis adscribunt artibus vanisque observantiis. Mirum certe non foret, si Deus homines tales omni ope destitueret; nam, ut ait Clemens, l. III. recognit. « Tale est hoc, quale si quis æger ad medelam sui medicum pariter et venenarios invitet, cum illi nocere quidem possint: verus autem medicus venenis illorum recuset sua medicamenta miscere, ne aut pernicies bono aut sanitas nocentibus adscribatur. »

Posterioris erant illi, qui dicebant: *Manus nostra excelsa et non Dominus fecit hæc omnia*, Deut. XXXII. Cujusmodi sunt, qui honores conquisitos, divitias comparatas suæ adscribunt virtuti et solertiæ. Vinitores et agricolæ, qui cum uberem vindemiam et messem sortuntur, dicunt se diligenter coluisse vineas et agros; cum vero modicum vini et frugum colligunt; Deum in rationes vocant: dulce vinum sibi, acetosum Deo adscribunt. Neque hinc procul absunt, qui laudati a doctrina, forma, opibus, actu præclaro et similibus, in ea laude conquiescunt, nec in Deum referunt velut in causam præcipuam; sed

tacite sibi ipsi tribuunt. Qua re quam offendatur Deus, ex eo liquet, quod ejusmodi dona in pœnam sæpe revocet, uti factum illi episcopo, qui amputata ab hæreticis lingua recte loquebatur, sed cum inde superbiret, eo dono est privatus, apud Sigebertum ad annum 330. Sic cornicula in apologo, alienis adornata plumis, cum inde extolleretur, deplumata est, avibus suas pennas repetentibus: *Qui de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit*, inquit D. Greg. l. IX. moral. c. I.

Tertio, qui beneficia oblivioni (non naturali, quæ culpa caret, cum non sit in nostra potestate, sed morali et voluntariæ) tradunt. Licet enim beneficium ex se amabile sit, non placet tamen omnibus propter obligationis onus, quia obnoxium facit accipientem; ideoque sæpe post tergum abjicitur et studiosa oblivione sepelitur. Huc referendi videntur novem hi leprosi. Alii enim qui curationis beneficium a Christo acceperunt, si non statim gratias egerunt, postea egerunt, ubi obvium habuerunt, uti cæcus ille natus, Joan. IX. et æger ille ad piscinam jacens, Joan. V. at isti novem leprosi nec postea quidem gratias egerunt; unde accepti beneficii videntur esse oblitii; proinde jure merito gravissime culpandi. « Nam ingratus, ait Seneca, l. III. de benef. cap. I. qui beneficium se negat accepisse, quod accepit: ingratus, inquam, qui dissimulat: rursus ingratus qui non reddit: at omnium ingratus, qui oblitus est. » Ab hoc enim nihil amplius speratur gratitudinis, cum beneficia apud eum mortua sint, et quasi jam sepulta. Unde qui tali beneficium confert: *Cadaver pretiosum oblini unguento*, ait Maximus monachus, ser. VIII. Certe pincerna Pharaonis cum succedentibus prosperis oblitus esset Josephi vatis sui, peccati se redarguit, atque accusat, ubi ejus memoria resumpsit: *Confiteor peccatum meum*, inquit: quod videlicet oblitus mei benefactoris non locutus sim Pharaoni pro ipsius liberatione, Gen. XLI. Homo ergo gentilis reum se peccati asserit ob beneficii oblivionem; quid faciat Christianus?

Quarto, et omnium gravissime, qui beneficium repudiant, vel contemnunt, habentque pro maleficio. Tales fuere Judæi illi, qui evangelium repudiaverunt, ideoque a Paulo et Barnaba audierunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, Act. XIII. verbum enim salutis reputabant verbum perdicionis, evangelium cacangelium; ideoque id repellabant una cum apostolis. Proxime ad hos accedunt, qui morbos, castigationesque a

Deo sibi inmissas, salutares quoque admonitiones ac correctiones piorum virorum tamquam sibi noxias atque hostiles habent, quasi eorum pernicies, non salus quæretur. Eo pertinet etiam quod scribunt Zonaras et Cedrenus, apud Baron. anno 869. de Basilio imp. qui cum in venatione a cervi cornibus per zonam arreptus sublimis ferretur, quidam id videns ense cingulum dissecuit, ut imperatorem liberaret. Imperator hoc sinistre interpretatus, præclaram ei mercedem reddidit, capitis truncationem, speciosa causa quæsita quod contra regem gladium strinxisset: ingratus imperator supervixit quidem, sed non diu, ob eversa intestina. Mira ingratitude, sed non rara. Sæpe enim contingit, ut vir bonus et spiritualis sua correctione eripiat peccantem, vel certe peccaturum a laqueis diaboli, quibus jamjam indutus erat. Correctio illa paterna gladius videtur, vitam peccatoris petens, cum potius funem abscondat, quo miser illaqueatus a dæmone trahitur ad interitum. Sane hujusmodi cervus fuit Sedecias pseudopropheta, qui falso vaticinio corripuerat, et quasi in altum extulerat regem Achab suadendo ei bellum iniquum, et periculo plenum. Fecit enim sibi cornua ferrea et bovis instar apparuit coram rege, et dixit: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam*. At Michæas Dei propheta dum Sedeciam illum imposturæ arguit, regemque periculi admonet, atque ab injusto bello avertere satagit, ecce ab ingrato rege mittitur in carcerem, sustentandus pane tribulationis et aqua angustiae, III. Reg. XXXII.

II. In secunda gratitudinis classe laudandum est beneficium et gratiæ agendæ. Est enim hæc laus et gratiarum actio qualiscumque, merces benefactori debita; ut vel ipsæ docent aviculæ, quæ: *Surgente et occidente die*, inquit D. Ambr. l. IV. Hexam. XII. c. *suos cantus instaurare consuerunt, ut decursi vel adoriendi temporis laudes suo referant creatori*. Vidit etiam gentilitas solo naturæ lumine æquum esse, ut benefactori gratiæ saltem agantur. Ita enim Seneca, l. III. de benef. c. I. *Non referre beneficiis gratiam, et est turpe et apud omnes habetur*.

Contra hoc præceptum peccant primo, qui beneficium dissimulant, dum nec beneficium nec benefactorem laudibus vehunt, neque gratiæ agunt. Deliquerunt in hoc leprosi isti qui non redierunt ad medicum suum, ut darent gloriam Deo: Ecclesiastes, c. I. ait: *Ad locum unde exierunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant*. Nunc in modum beneficia, quæ a Deo accepta sunt, ad eundem per gratiarum actionem referenda sunt, ut exponit S. Bern. ser. XIII. in Cant. « Si copiæ, inquit, aquarum secretis subterraneisque recursibus in-

cessanter usque æquora repetunt, ut inde rursus ad visus ususque nostros jugi et infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. » Sic Bern. Ergo sicut non revertentur ad nos flumina, si non fuerint reversa ad mare veluti ad fontem suum: ita desinet beneficiorum fluxus, si desierit gratiarum refluxus. Videre id erat in Jona, qui letatus quidem fuit cum hedera super caput ejus crevisset, et umbram ei præbuisset, non legitur tamen ob tam miraculosum beneficium gratias egisse; ideoque mox sub diluculum preparavit Deus vermem, mirum et miraculosum, qui repente erosit atque arefecit hedera; sicque miserum Jonam æstuanti exposuit soli, Jon. IV. Extraordinarium beneficium extraordinarius absumpsit vermis, typus ingratitude. Nimirum: « Præsentibus bonis perfruentes, inquit D. Basil. ho. V. in Julittam, cum nullam rependam largitori gratiarum actionem, ut sensum aliquem percipiamus ex jactura rei, necesse est, ut ea spoliemur. Ut enim oculi, quod justus propius adnotum est, non vident, sed opus habent moderata quadam distantia: itidem animos minus gratos videmus sensu attingi præreptæ gratiæ, dum privatos se intelligunt prærogativa honorum. » E contra vero qui pro acceptis donis gratias egerint, sentient perennem beneficiorum fluxum. Ut enim dixit Chr. ho. in Matth. XX. « Optima beneficiorum custos est memoria beneficiorum et perpetua gratiarum confessio. » Flumina ad mare, unde exierant revertentia fuerunt apostoli, quando: *Reversi sunt cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, Luc. X. siquidem his verbis extollunt beneficium sibi collatum, ac proinde gratias agunt, ut advertit D. Hiero. et Theophylact. in cap. VII. Marci, idcirco postea pluribus cumulati sunt donis. Viderint ergo ingrati quam accusentur vel ab ipso mari, juxta id Isa. XXIII. *Erubescet Sidon, ait mare*.

Secundo, qui beneficium extenuant, pluraque semper ac majora postulant, prioribus non contenti, uti Athenienses illi qui ut refert Plut. in apophth. cum bello capti a Philippo rege Macedoniæ, omnes dimissi gratis essent, deinde primum vestes et stragulas a Macedonibus reposedebant, eosque propterea in jus vocabant. Quod audiens Philippus, risit, inquit: *Quid? Arbitrantur Athenienses se a nobis in talorum ludo victos esse?* His non absimilis senator ille Rom. fuit charus Augusto imp. qui cum æs alienum ab eo contractum non rogatus dissolvisset, numerassetque creditoribus, senator, re cognita, pro gratiarum

actione scripsit imperatori: *Mihi nihil?* Expostulans cum ipso, quod sibi nihil numerasset, qui numerasset omnibus creditoribus, Stob. His adnumera ingratos illos Hebræos, qui nova semper beneficia cum murmure exigebant. Ita enim Ps. LXXVII. dicunt: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto; quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ: numquid et panem poterit dare?* Certe potuit dare, ac dedit. Sed his non contenti petierunt etiam carnes. Dedit et has Deus, sed in perniciem eorum. Nam: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*. Ita nimirum ingrati cum plura a Deo accipiant beneficia in suam perniciem accipiunt. Sane etiam hi novem leprosi post sanationem magis leprosi facti sunt in anima (vicio ingratitude) quam prius fuerunt in corpore: quin et periculosius, quia ob externam lepram erubescere, et ad medicum cucurrere: ob ulcus ingratitude nihil erubescere, nec medicum quæsiere.

Tertio, qui beneficium etiam spernunt vel vituperant, quemadmodum impius ille Calvinus, qui, l. III. inst. c. IV. § XXIX. scribere ausus est: *Quid, quæso, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pena temporalis exigetur?* Quasi vero non sit multum et maximum ab æternis pœnis liberari, Deo reconciliari et cœli hæredem fieri. Hunc imitantur improbi aliqui filii, qui satis amplam hæreditatem, a parentibus sibi relictam cavillantur et pro nihilo habent: quin et bonam educationem ac virtutum monita sibi ab ipsis tradita derident ac contemnunt.

III. In tertia classe compensandum est beneficium secundum ejusque facultatem. Suprema ista classis est, non tam stricte obligans, ac priores duæ; rationi tamen et ipsi naturæ admodum conformis. Nam et bruta animalia compensasse mutuis vicibus beneficia alibi ostendimus; et ne longe abeamus: *Canibus insitum est natura quadam*, inquit D. Amb. l. VI. hex. c. IV. *referre gratiam et sollicitas eccubias pro dominorum salute prætere*: et lib. I. off. c. XXXI. *Humanitatis exempla, ipsa terra suggerit: spontaneos fructus ministrat, quos non severit; multiplicatum quoque reddit, quod acceperit*. Delinquant igitur hic primo, qui nihil omnino beneficii, cum possunt, pro beneficio rependant, quemadmodum et ignis, qui insatiabili ingluvie omnia sibi apposita devorat, nihil vero redonat. Quod in aerem jactas, illico ad te redit: quod in aquam mittis vel aqua ipsa abripit, alteri saltem advehitur: quod in terram condis, vel multiplicatum tibi resurgit, vel certe securum ac reconditum manet: at quod in ignem jactas, omnino perdidisti, nihil ab eo recipies. Quam ob causam putat Rupertus in prima rerum creatione nullam ignis mentionem factam.

Secundo, qui nimis parum rependunt, cum plus possint ac debeant. Hic impegit Salomon qui regi Hiram pro viginti annorum operis et sumptibus, auro et lignis abiegnis cedrinisque liberalissime impensis in templi structuram, viginti solum oppida eaque vilia dedit in terra Galilææ, quam ubi vidit Hiram, ait Salomoni: *Hæcine sunt civitates, quas dedisti mihi frater?* appellavitque eas terram *Chabul*, hoc est, *vilem et inutilem*, juxta Rab. Salomon *lutosam*, juxta Rab. Nathman, *arenosam*, II. Reg. IX. Nimis etiam parum rependit suo servatori Alphonsus rex secundus Neapolitanus, qui e navicula in mare prolapsus, opera cujusdam remigis cum esset liberatus, non plus ei meriti gratia, quam duodecim uncias (sexcedim florenas nostros) quotannis dum viveret, pendendas ex ærario statuit. Satis quidem hoc remigi, sed perparum regi, tale præsertim ob meritum fuit. Refert P. Chavass. l. IV. de prud. c. IV.

Tertio, qui mala pro bonis rependunt; qui est supremus ingratitudinis gradus, gravi supplicio dignus, juxta id Prov. XVII. *Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo ejus*. Eccui vero similes dicam tales homines? Similes sunt hederæ, ut ait Plut. in moral. quia sicut hederæ arbores, quibus adhæret (harum enim ope, cum ex se nequeat stare et in altum surgere debet) corrumpit ac destruit; ita ingrati illi, suos benefactores pessumdant: similes sunt mulis, qui ubi lacte materno saturati sunt, calcibus petunt matrem; uti Plato de Aristotele discipulo suo dicebat: siquidem Aristoteles a Platone optimis quibusque artibus informatus scholam contra Platonem aperuit et in Peripato cum discipulis suis adversus eum pugnavit, Platonis perpetuus adversarius esse cupiens, Ælian. l. IV. de var. histor. Potest hoc ipsum Deus dicere quam plurimis, qui ab eo variis dotati bonis contra eum pugnant; ut qui divitiis abutuntur ad luxum et superbiam: potentia ad oppressionem pauperum: corporis robore ad latrocinia, rapinas, cædes: formæ pulchritudine ad libidinem: ingenio ad concinnandos dolos, eludendam justitiam: lingua ad blasphemandum, etc. His omnibus ait Deus per Isaiam, cap. I. *Audite cæli et auribus percipite terra: (quasi rem videlicet stupendam et inauditam) filios enutrivit et exaltavit: ipsi autem spreverunt me*. Vult dicere: Abjecerunt et demum crucifixerunt me, ut ait Zeno Veron. serm. I. de Isa. Sane tanta est hæc ingratitudo, ut ad eam redarguendam aperire Deus os asinæ voluerit, Num. XXII. Sic enim illa ad herum suum Baalam ait: *Quia feci tibi? Cur percutis me? Ecce jam tertio? Nonne animal tuum sum, cui semper sedere*

*consuevisti usque in præsentem diem?* Jumenta quodammodo tua, o homo, sunt servi et ancillæ tuæ, subditi et operarii tui. His si ingratus fueris et pro ipsorum operis, censibus, laboribus nil aliud rependeris nisi verbera et convicia, vide ne aliquando te redarguant in judicio, cum ingredieris augustias duarum maceriarum, hoc est, discrimen salutis et damnationis æternæ. Tametsi enim in hac vita tacent, quia pro jumentis habentur nec mutire audent, veniet tamen tempus quo aperiet Deus os illorum, ut redarguant ingratos heros.

Itaque auditores, demus operam ut imitemur Samaritanum illum leprosum, a Domino commendatum, non imitemur novem ingratos, ne aliquando in judicio surgant ethnici et accusent nos; imo ne loquantur asini et redarguant nos. Arguit certe Samaritanus, qui gentilis licet, per omnes illas classes strenuum se exhibuit. In prima, dum exultans magnificavit Deum ac proinde agnovit beneficium: in secunda, dum gratias egit, magna voce benefactorem suum prædicans: in tertia, dum procidens in faciem, divinum ei honorem impendit, adeoque Deo gloriam dedit.

## CONCIO II.

QUIBUSNAM PRÆ CÆTERIS GRATI ESSE DEBEAMUS.

I. Deo. — II. Christo. — III. Deiparæ. — IV. Angelo custodi. — V. Magistratui. — VI. Parentibus. — VII. Præceptoribus. — VIII. Dominis. — IX. Servis bonis.

## THEMA.

*Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* Luc. XVII.

Scribit Aristoteles, l. V. eth. c. V. templa Gratiarum in urbium medio condi solita fuisse, ut beneficiorum inter homines reciprocatio excitaretur et conservaretur; siquidem per hanc civitates conserventur. Fecerunt hoc gentiles, recte et laudabiliter, quia ibi cessat retributio et gratitudo, ibi cessat actus dandi et beneficia. Ubi ista cessant, pereunt civitates. Jam si hoc gentiles, quid facienus nos Christiani? Simile etiam templum in medio urbis nostræ statuemus, non quidem more gentium, sed potius Christianorum; quod fiet, si omnes unanimi consensu proponamus in animis nostris et quodammodo conjuremus, fore nos gratos iis, a quibus beneficia acceperimus. Hoc ut accuratius fiat, ostendam vobis breviter, quibusnam potissimum grati esse debeamus.

Unum tantum gratum habemus in hoc evangelio: sed præterea novem alios requisivit Dominus: ita in rep. præter vulgarem gratitudinem, quæ communibus exhibetur beneficiis, novem alias desidero speciales maximeque necessarias.

I. Et maxime omnium grati esse debemus Deo; quia omni momento bonis ejus fruimur, et novis semper ac perpetuis beneficiis ab eo cumulamur: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*, ait Ecclesiastes, c. I. ita bona omnia, quia a Deo exeunt, ad eundem quoque reverti per nostram gratitudinem debent, ut nimirum ea Deo accepta feramus et gratias referamus; non quod Deus indigeat nostra gratiarum actione (quia velut mare inde non redundat,) sed ut gratiæ divinæ iterum ad nos effluant. Hinc commendatur in hodierno evangelio Samaritanus, quod redierit ad Christum gratias illi agens; notantur cæteri, quod non redierint, ut darent gloriam Deo. Et rursus sicut flumina si in mare non influerent, nulla inde refluerent: ita nisi Deo grati simus, facimus nos indignos accipiendis novis donis. Nam sicut gratitudo acceptorum beneficiorum conservatrix est, et novorum conciliatrix: ita vicissim ingratitudo et divinorum beneficiorum oblivio, (D. Bernardo teste, serm. contr. vitium ingratitudinis: *Est ventus urens, fontem pietatis exsicicans, rorem misericordiæ et gratiæ fluentia non recipiens*. Agendæ autem sunt Deo gratiæ de triplicibus bonis, de generalibus, specialibus, singularibus. Generalia sunt creatio, conservatio, redemptio, etc. specialia, vocatio ad fidem catholicam, ad religionem, ad gratiam et gloriam, etc. singularia, quæ cuivis peculiariter contingunt. Sic Alphonsus Aragonum rex de tribus potissimum Deo incessanter gratias agebat, quod hominem, quod Christianum, quod inter Christianos regem eum fecerit, Æneas Sylv. de dictis Alphonsi. Et Plato ille gentilis gratias agebat naturæ seu Deo, quod homo, quod mas, quod Græcus, quod Atheniensis, quod tempore Socratis a quo institui posset, natus esset. Denique, quoties aliquo Dei bono fruimur, censum gratitudinis ei reddere meminerimus. Hunc enim a nobis exigit Deus, Joelis II. cum ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo et æruca, etc. et comeditis vescentes et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri*. Quia nimirum ipse hæc omnia vobis dedit, ipsiusque adscribenda sunt beneficentiæ, non industriæ nostræ. Nec de bonis tantum naturalibus, sed et multo magis de supernaturalibus, gratiæ agendæ, nisi gloriæ divinæ fures esse velimus. Sic enim docuit suos S. Franciscus: *Quando servus Dei orans,*

IV. PARS ESTIVALIS.

inquit, *visitatur divinitus, dicere debet: Istam consolationem peccatori et indigno de celo misisti Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latorem*, D. Bonaventura, in vita, cap. X.

II. Peculiariter grati esse debemus Christo Domino, quia ut ait apostolus, ad Tit. II. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem*. Dedit enim se vadem et fidejussorem Deo pro peccatis nostris, persoluto pro nobis lytro sanguinis et vitæ suæ. Jam vero: *Gratiam fidejussoris tui*, inquit Ecclesiasticus, c. XXIX. *ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam*. Et sane videtur nobis Dominus insusurrare illud, quod post lotionem pedum dixit suis discipulis, Joan. XIII. *Scitis, quid fecerim vobis?* Quod enim illis facit corporaliter, hoc idem spiritualiter omnibus nobis fecit: *Surrexit de cena, cælestium deliciarum, et posuit vestimenta gloriæ suæ: accepit linteum humanitatis nostræ et præcinxit se: ad hæc misit aquam in pelvim*, id est, sanguinem suum, quem instar aquæ copiose et sæpius effudit, in terram sterilem et ingratham, necnon in sacramenta: *lavit pedes nostros*, quando in sanguine suo mundavit nos a peccatis et mundat etiamnum in sacramentis quotidie: *extersit denique linteum humanitatis suæ, quando peccatorum nostrorum sordes in se transtulit, unde ejus humanitas adeo deformata fuit, ut dicerent spectatores: Putavimus eum quasi leprosum*, Isa. LIII. Hæc nobis, Christiani, insusurrat Christus: *Scitis, quid fecerim vobis?* Hoc enim si sciamus, quomodo non grata mente meminisse debemus? Hoc si nesciamus, quomodo non ingrati sumus.

III. Dei Genitrici. Ipsa enim est et vocatur passim a ss. patribus mediatrix nostra, non quidem ad redimendum, sed alias ob rationes. Primo, quia est aurora mundi; suo enim in Dei maternitatem assensu adduxit nobis solem justitiæ. Suis item meritis et virtutibus, ac virginitate imprimis, cœpit, mitigavit et in sinum suum recepit unicornem illum, Deum prius erga mundum quasi ferocem. Secundo, quia est arbor vitæ, quæ protulit nobis fructum illum nobilem et benedictum, quo restauramur ad immortalitatem; Christum enim in utero gestavit, genuit, lactavit, aliisque obsequiis nobis educavit. Tertio, quia est luna mundi; siquidem Christo in cælos assumpto, magistra fuit discipulorum, et evangelistarum, maxime Joannis, qui ex ejus ore et imperio evangelium scripserunt et Ecclesiam rexerunt. Quarto, quia est advocata nostra apud Filium, imo mundi totius columna. Nam ut ait D. Fulgentius, IV.